

ornari iussisse, et dicasse anno O. C. 7159. id est, Chr. 1651. Ecclesiae Monasterii *Albae Graecae*, seu *Belgradensis* Archangelorum *Michaelis* et *Gabrielis*, ut pro sua, Mariti *Johannis*, et Parentum *Petri* et *Thomaniae* salute in quotidianis Evangeliorum Lectionibus et Sacrificiis fiat memoria. Dein fol. 352. p. 2. ubi *Ananias* Metropolitae *Ugrovalachicus* ordine XXIII. illum 50. Rublis (100. Thaleris) ab illa Ecclesia redemisse dicitur, et novae Aedi Metropolitanae in honorem Ascensionis Christi *Targovisti* in *Moldavia* fundatae addixisse, subjuncta in furem aut spoliatorem imprecatione, ut ei non aliter eveniat, quam illis, qui vociferati sunt: *Tolle, crucifige! Sanguis ejus super nos* &c. Interim jam uterque Codex, fortassis a militibus adlatus, *Viennae* existeret a. 1699. ut liquet ex inserta descriptione *Adami Stylae* Aulae Caes. Interpretis *Ruffi* et *Polonici*, cui, quae de *Fatis* eorum dicta sunt, debentur, revisa tamen a Viro mihi amicissimo *Fortunato Durichio* Literaturae Slavicae hodie promocondo.

LXXXV.

C. 993 Codex membraneus purpureus, pluribus in foliis colore ob aetatem evanido, Sec. VI. Foliorum nunc 143. forma fol. paene quadrata, totus caractere unciali argenteo, qui sacris Libris olim honos erat, exaratus, nisi quod *Dei*,

Domini, *Jesu*, et *Christi* nomina auro scripta sunt, *Evangelia Lucae*, et *Marci* complectitur ex antiqua *Versione*, quae *Italiae* ἐπιθετον obtinuit. Et *Lucae* quidem a verbis C. 10. v. 6. *Sin autem, ad vos revertetur* &c. ad verba C. 23. v. 10. *Constanter accusantes eum*; *Marci* vero a verbis C. 2. v. 17. *Sani medicum* (medico) *sed qui male habent* &c. ad verba C. 14. v. 36. *Abba pater possibilia omnia tibi sunt*. Ex his, quae *Lucae* sunt, a Foliis 6. *Quaternionis XLII.* progrediuntur ad completum *Quaternionem LII.* ita tamen, ut *XLVII.* tantum sit *Ternio*; quae autem *Marci*, a Foliis 7. *Quaternionis LV.* pertingunt ad *Quaternionem LXIII.* multatum folio ultimo, ita, ut etiam dimidium *Quaternionis LX.* avulsam sit. Unde probabiliter conjici potest, in hoc pretioso *Codice* praecessisse olim *Matthaei* et *Johannis Evangelia*, quod nequaquam insolitum fuisse docet exemplis *Jos. Blanchinus* in *Vindiciis Canonic. Scripturar. Romae* 1740. p. 399. f. Ad cujus Viri, cum actum agere volupe non sit, opus nunc citatum p. 396. tum ad ejus *Evangeliarium Quadruplex Romae* editum 1749. et quidem P. I. *Prolegom.* p. 82. dein P. II. pagg. 132. 577. et 598. Lectorem remitto, ubi et *Codices* a *Card. Hier. Seripando* Coenobio O. sui, videlicet *S. Aug. Neapoli ad S. Johannem de Carbonaria* relictis, indeque ad *Bibliothecam Caes. Vindobonam* translatis indolem a decessore nostro

stro *Nic. Forlosia* solerter descriptam, et Lectiones varias ex eo decerptas, et characterum Specimen *Tab. I.* post p. 588. incisum deprehendet. Id unum addo, in *Herm. Treschovii Tentamine Descript. Codicum vet. aliquot Graecor. Bibl. Caes. Vindob. Havniae 1773.* p. 6. 8. characteres eos perperam aureos dici, neque de materia *Codicis* dubitari debuisse, ut *Blanchini p. supracit. 577.* factum video, cum membranae, quo vetustiores, eo etiam tenuiores, instar paene vesicae, reperiri soleant.

LXXXVI.

U. 14 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 160. f. luculente exaratus et, ut frons enunciat, olim testamento legatus domui Collegij ducalis wienne apud fratres predicatorum pro studio theologiae a *Thoma de Hafselsbach* ejus Prof. in *perichtoldsdorff* Plebano et *D. Stephani* Canonico, continet I. *Evangelium S. Matthaei* columna media lineis rarioribus Textum grandiuscule scriptum exhibente, adstituta utrinque *Glossa ordinaria*, et inserta *interlineari*, ut exemplum est in Bibliis glossatis impressis, e quorum Prologis etiam *Προλεγόμενα* Codicis nostri petita sunt.

II. *fol. 89.* alia, et quidem elegantiore manu, rubricisque distinctum sequitur *Evangelium S. Lucae* utraque pariter *Glossa* illustratum, sed lapsu temporis ali-

quot partibus multatum; folia enim 99. 100. 101. item 112 — 16. denique 152. et 153. manu Sec. XV. subpleta sunt, in qua saltem conatum laudes. *Προλεγόμενα* hic nulla; ad calcem vero adscriptus est *Hieronymi* Prologus, qui insit: *Lucas syrus natione antiochensis. arte medicus &c.* ut habetur in *Bibl. glossatis*, et alius *Locus*, quem ibi non reperi, hoc initio: *Lucas de omnibus que fecit ihesus et docuit &c.*

Ad convestiendum interne Codicem adhibitae sunt Membranae duae vetustissimi Exemplaris *Talmudici* in *Germania* scripti, quarum anterior ad *Traetatum* פסחא seu de *Paschate*, posterior ad *Traetatum* גטא seu de *Divortio* pertinet.

LXXXVII.

U. 11 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 94. f. per 3. columnas probe exaratus ita praenotatur: *Honorabilis vir dominus mathias puellmair de Grintling Presbiter frislingensis dioecess. hunc librum ad librariam collegij ducalis testatus est.* Complectitur vero *Evangelium Matthaei* columna media luculentiore, lineis ad recipiendam *Glossam* distantibus, et utrinque adstituta *Glossa ordinaria*, prout in *Editt. Bibliorum glossatorum* visitur. Capitum Numeri in summa ora minio indicantur. Praemissa sunt quaedam hinc inde e *Glossis* lecta de *Evangelio* in genere, et de *Sensu historico*, my-